CLARISSIMIS ET CONSULTISSIMIS CIUITATIBUS SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS GLORIOSO CASTRORUM IÔ TRIUMPHABUNDIS.

INCLYTÆ ET CULTISSIMÆ

THORUNIO, ELBINGÆ, ET DANTISCO:

in eisque

Ampliſſimo & Digniſſimo Senatui, eâ purpurâ Honoris, & Nominis Priuilegio
Sereniſſimi Sigismundi Augusti Milleſimo Quingent: Quadrag. Secundo, inſignito:

Nobiliſſimis & Spectabilibus, Dominis

BURGRABIS, PROCONSULIBUS, ET CONSULIBUS:

Dominis & Fautoribus Obſeruandiſſimis.

Dulce ponam apud Vos Spectaculum Ampliſſimi & Spectabiles Domini, cùm in hanc fortunatam belli aleam cunctorum Veſtrum Vultus conuerſos, felix Caſtrorum iô nouis accinere Vos triumphis permoueam. Communis hæc Veſtra pietas eſt, qui ex affini pariete vnum in hac Republica Corpus exiſtentes: Vos etiàm fortunam Veſtram cùm aliis Regni Incolis ſpectaretis. Etiam compreſſus rebellium impetus! non animum ſequitur manus, immanum gladius, ferrum in medius Caſtris deſeritur. Redite in Theatra Veſtra ſpargente ad Vos famam hæc Ampliſſimi & Spectabiles Domini. Incipite glorioſum Caſtrorum Sereniſſimo Veſtro Regi: date manus ad Complexi Illuſtriſſimi Senatus Regni; Vobisq; læti, Marte propitio, gratulamini, quòd inſigni operâ Exercitus Cõmuni Vobiſcũ ære coëcti, Inſtituta Principum Veſtrorũ, amicitiam, libertatem, & cultum Patrium in expertes armorum hoſtilin, Communi intèr Vos amore, nexu, & onere ſeruabitis. Ea igitùr belli alea eſt, Vobis monimento pacis perpetuo tradita.

HÆc Martis cruenti & ſimùl pacis juſtiſſimæ (ad quam per injurias & bella ventum eſt) imago: SPECTATORES AMPLISSIMI. Horret animus tanti flagitij ſpectaculo, ſi tot vias cædibus antè plenas, ſi Domos Illuſtrium afflictas, ſi fora & templa per omnes partes loci illius cruenta recoligat. Non vltimi fortuna bellorum ruit, prætèr arma, & viros, & munitas Caſtrorum foſſas: ſupeſt vltor Deus.

Is eſt ſceleris rebellium exitus. perditis rebelles Tartarorum auxiliis, ex quibus aliquot dignitate inſignes capti, plæriq; cæſi, reliqui cum magna vulneratorum parte in turpem fugam per inuia loca diſperſi: ipſe poſt fruſtra iàm ſua numina, & inanem ſuorum & Tartarorum aciem, ità nocte in foſſas, aquis ſtiri fluuii interfluentes, confeſtim per illos in miram altitudinem extructas, cum Caſtris & armis ſuis recipiunt. Conſpectis illorum foſſis aurorâ diem iam aperiente, non ſinè aliorum videntium ſtupore SERENISSIMUS REX, cum tot iaculis in Caſtra illorum directis à muniendis Caſtris ſuis non poſſent arceri: illicò Caſtra ſua vallare iuſſit, ne patentibus Campis diſperſis inſidias nocte molirentur, & ſubitâ è foſſis eruptione Exercitum ſuum turbarent. totq; foſſis & lateribus per arduos colles emunitis, hoſtem ex iis fortioribus iaculis per ipſas rebellium foſſas cæpit petere.

Excurrunt illi furtim paulò pòſt in conſcientiam facinoris ſui adſciti, cumque excurrentes per inſidias nihil nocte moliri poſſunt, nec fortunam aduerſi belli reparare: fortiſſimè reſiſtentibus Caſtrorum copiis & JLLUSTRISSIMI LUDOVICI WEIHER Palatini Pomeraniæ, ac illos ad ipſorum vsque Caſtra acritèr propulſantibus: agebantur hùc illùc completo ſuorum Kozacorum vndique ex foſſis lugubri proſpectu. Non plebis vlla vox, attoniti omnium vultus & languentes circa iacturam & ſtragem animi: primum metum futuri pignus faciebant.

Feſtinandum Nobilitati videbatur, antequàm nouâ coniuratione in Communem fortunam, aut in fugam conuenirent rebelles. præclarum arbitrantes bellandi auſpicium, ſi tantæ multitudinis externi hoſtis viribus auctæ, prima fuerit & ſecunda acies perfuſa. Iamque æquales aliquorum in Caſtris fuere mentes, & is ardor, vt in ipſas foſſas Kozacorum ruere vellent. nec iam recentia ſæuæ pacis exempla, ſed repetitâ bellorum anteactorum memoriâ: nota publicarum cladium nomina ex cunctatione animorum loquebantur. at temperandum alii felicitati armorum magìs crederent: grande pretium Reipublicæ exiſtimantes, tot viros egregios per ardua animorum in puncto ſterni, & Patriæ eripere. Tùnc KOZACI accepto nuncio pugnæ quæ iam in conſiliis miſcebatur; viſis etiàm à longè ſubſidiis è Polonia denſis cateruis aduolantibus: ſortem armorum ſuorum miſerâ lætitiâ deteſtante, veniam poſt ſcelus precibus quærunt, quidam ſe è foſſis ad Caſtra Regiæ Maieſtatis demittunt; gratantes felices Aquilas inclyti Regni. Iamque veniæ & fortunæ in ambigua ſpe: certa funera & luctus videntes; mœſtâ belli famâ profugi è Caſtris & foſſis, perditas res prædæ victorum relinquunt.

Mira Sereniſſimi Regis certamine illo, & poſt Julios Claudiosque primùm memor victura fama, qui ſolus ferè illo prælio bellandi artem reperiſſet; cum Caſtrorum Curas animo volueret, cum vexilla ad nota pugnæ ſigna poneret; nondùm ſe virtus fortiſſimorũ militum experiebatur; & iam inſtructa acies vincebat hoſtem.

Non inglorius eodm prælio Jlluſtriſſimus Michael Jeremias Korybuth Wiſniowiecki Palatinus Trrarum Ruſſiæ, qui acerrimus & properus ipſe primus iuſſu Sereniſſimi Regis accelararet in hoſtem, & armis ſuis incertum ſignorum hoſtilium ordinem primo congreſſu relinqueret, equisque & armis maxima vulnera ſanguine ſuo lapſantibus ingereret.

Jn perpetua futuri memoria JLLUSTRISSIMUS ET REUERENDISS. D. ANDREAS DE LESZNO LESCZYNSKI Epiſcopus Culmenſis, & Pomeſaniæ Supremus Regni Cancellarius. & JLLUSTRISSIMUS ET MAGNIFICUS HIERONYMUS RADZIEIOWSKI ProCancellarius Regni, qui ſe pro inſigni Reipublicæ auſpicio, in aliquot copiis ſelectiſſimi militis ære ſuo collectis ad hoc bellum expedirent, qui facta ſtrenuorum militum Connotarent, vulnera intuerentur, alios ſpe, alios gloriâ, cunctos fauore & curâ, Patriæ & prælio firmarent. non ſuccumbent intèr alios bellicoſiſſimos huius Regni & Magni Ducatus Lithu: obliuioni JLLUSTRISSIMUS ANDREAS CAROLUS A GRUDNA GRUDZINSKI Caſtellanus Naclenſis, nec JLLUSTRISSIMUS JOANNES ZAMOYSKI Capitaneus Caluſſienſis, qui belli iſtius felicem Aleam non minùs Maiorum ſuorum ſtemmate, quàm ſuâ & ſuorum militum virtute latè glorioſi proſperauerunt. ſic itaque pulſa acies Kozacorum & fiducia in pedes verſa.

Seriem huius prælij, Ciuitatibus & Auiculâ ramos ſpargente pro pacis triumpho & Symbolo Conceptu, adiunctis: publicæ luci ſpectandam, cum typo edidit. C. G. R. C. M. Aſſiſtens.

E XXXI 4718 nie podaje